Bibliothèque numérique

medic@

Courtois, Paul - candidat / Patin, Guy - président. - Estne totus Homo à Natura morbus ?

1643.
Paris
Cote : ms 77 n°920

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x06x0920

ILLVSTRISSIMO, INTEGERRIMOQVE VIRO D.D.

IOANNI L'ESNÉ

IN SVPREMA GALLIARVM CVRIA

MAIORIS ORDINIS SENATORI.

DICEBAT Architas Iudicem & Aram idem eſſe propterea quòd afflicti pariter ad vtrumque confugiunt. Ego verò, Vir Illuſtriſſime, omni licèt moleſtia vacuus ſim, opem tamen imploro tuam, quia præſentio nec glorioſum, nec fauſtum mihi fore huius certaminis Medici exitum; niſi me in tuam recipias clientelam. Id vt à te ſperarem, fecit hactenus vſurpata oculis affabilitas: magis verò amor atque beneuolentia ſingularis erga Muſarum Alumnos quos vbique complecteris, ipſe eruditionis Oceanus. Inuitauit & omne virtutum genus ſuis blandè trahens illecebris: Quem enim ad ſe non rapiant rarus ingenij candor, ſumma vitæ comitas, ciuilitas mira, integri, liberales, & omni ſuauitate temperati mores; quæ omnia non poſſunt non eſſe in Te ſplendida, cùm ſint tuæ genti familiaria planèque domeſtica. Non commemoro mentis acumen, collectam multo rerum vſu prudentiam, & cætera animi tui ornamenta quæ ſi coner hoc orationis ambitu coercere; citiùs totam Oceani aquam anguſto exhauriam cyatho. At ne hæream circa iſta minoribus quaſi theatris propoſita laudum inſignia; Quis non miretur tuam illam in hoc ferreo ſæculo penè incredibilem, ſed aureo planè dignam conſtantiam? quam vt ego ſubticeam; certè nunquam ipſa ſilebit Gallia, quæ cùm nuper multos tui ſimiles, id eſt qui nullam præ ſe ferrent fracti animi obedientiam, exoptaret; experta eſt quàm paucos haberet. Iampridem Gallis abundè innotuerat Tuum Illuſtre Nomen, & maſculus ille animus, vt auiti ſpiritus ſucceſſor, ſic optimus boni publici propugnator. Sed vt aromata vehementiùs fragrant cùm tunduntur franguntúrque; ſic dum tua virtus negotiis & rebus aduerſis exercetur, cœpit illius famæ multò diffundi latiùs ac etiam longè extra ipſos regni limites propagari. Illam quidem Tu omni arte conaris tegere: Verùm vtcumque te geſſeris; nunquam efficies, quin vti nos vel inuitos comitatur vmbra: ſic res à Te tam fortiter geſtas ſempiterna ſequatur gloria: ac qui laudum tuarum ſummam facere voluerint, vno omnes ore prædicent Te illum eſſe quem commendat humanitas, expoliant literæ, abſoluat integritas.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVII. DECEMBRIS, M. GVIDONE PATIN, Doctore Medico & Cenſore Scholarum, Moderatore.

Eſtne totus Homo à Natura morbus?

VITAM nullus acciperet ſi daretur ſcientibus: ad eam enim cui patet ingreſſus, patet & ad miſeriam; nec quò longior, melior, ſed quomodo fabula, ita & vita: quàm bene, non quàm diu acta ſit refert. Primo reſpondet vltimus dies; vtque illam à doloribus auſpicamur, ſic ab ea vi laborum eijcimur. Medii temporis curſus vix motu tranquilliore peragitur: hunc nobiſcum diuidit ſomnus, & pars æqua morti ſimilis exigitur aut pœnæ, niſi contingit quies, reliquum tenent tormenta. Vndique mala circumſtrepunt, vbique bellum & inſidiæ, nullibi induciæ, omnes dies, omnis hora nos mutat. Mundus in vnius hominis gratiam factus, videtur odio in ipſum plenus, vt per ea perniciē creet, per quæ nos tuetur & ſuſtinet. Quin & putre hoc corpus animi pondus ac pœna, tam malè conuenit nobis, vt quod euenit in alieno habitantibus, ſemper aliquid ſuperſit aut deſit. Hinc crebri dolorum morſus & innumeri morbi, qui vel ſilentio ſubeunt, vel aperto Marte graſſantur & ſæuiunt. Neq; enim tam vario genere viuimus, quàm ægrotamus: & mors vt ſemel iugulet ſæpe nos experitur. Quid quod non rarò transferuntur morbi, nunquam verò ſanitas? Dubium quoque an Natura melior Parens, an triſtior nouerca fuerit? brutis indulſit animas, nobis animum quoque; ſed ſæua mercede contra tanta ſua munera: nam vt multi ſint à corpore morbi, adhuc tamen plures ab animo. Neque verò acuendum eſt ferrum aut temperanda ſunt venena, vt partis vtriuſque infirmo vinculo cohærens ſocietas dirimatur: Leui quippe externarum iniuriarum afflatu vitâ exuimur, penéque in id videmur naſci, vt vitâ defungamur. Nec à ſolis morbis afficimur: faceſſunt & negotium illorum prodromi: ipſe ſomnus aliàs pars humanæ melior vitæ, etiam valentibus aliquid graue & periculoſum minatur, vt & peruigilium, oris amaror, & ἀνορεξία, bilioſæ impuritatis propagines: ſudores humidioris hepatis indices: necnon ipſa ſitis, ſiue ſit à Ventriculo, ſiue à Pulmone. Laſſitudo multis modis nocet, quæ cùm triplex ſit corporis, & ad cuius depulſionem tota Medicina requiritur; eſt & ingenij, nec illa leuis, imò ſupplicium inſolens, & ſedentium ad libros miſerum ſtipendium. Viri etiam robuſtiſſimi non carent morbi ſuſpicione, nec ſunt extra omnem aleam: & ſua ſunt illis incommoda, ſuæque per omnes tempeſtas: Imò & ipſa Athletarum εὐεξία periculi pleniſſima eſt, niſi ſtatim ſoluatur: quidquid ad ſummum peruenit, ad exitum properat. Specioſa illa ſanitas lubrica eſt: quin & ipſi bene colorati debent habere ſuſpecta ſua bona, vt & gladiatores ſuam ſaginam: qui enim foris ſplendent, intus ſæpe ſordent. Humanæ vitæ mimum componunt atque perficiunt gaudia non minimis gaudia mixta malis: nullum tempus excipitur: medio de fonte leporum ſurgit amari aliquid quod in ipſis faucibus angat; bellum in media pace conſurgit, inuadit temperatiſſimos morbus, validiſſimos febris, & morbi cauſas ſi alia deficiant, nimia ſibi felicitas inuenit. Neminem eò bona valetudo prouexit, vt non tantum illi minaretur quantum permiſerat: ſed huic malaciæ ne fidito: mare momento vertitur: eodem die vbi luſerant nauigia, ſorbentur; extrema gaudii luctus occupat. Ad hæc, præter ſolida mala quæ ſæpe muliebriter ferimus, ſæpius ad opinionem dolemus, & tam æger eſt quiſque quàm credit. Has tamen inter vitæ ac mortis moras? homo æquè ſuperbum ac caducum animal, quaſi non ſentiat ire ſe, vel rapi eò quò eunt omnia, ſibi æterna proponit, & in quantum poteſt ætas humana protendi, ſpe ac votis occupat: quódque miſerrimum, quantò illi vita fragilior, tantò eius libido effuſior: vt cùm ſinguli dies tantumdem in mortem conferant, demens vltimum exhorreſcat, eóque inſtante, vlteriorem, ſi quem poſſis aſſuere, omni pretio coemat.

IN SEMINE, è quo partes ſolidæ fiunt, & in ſanguine menſtruo, quo conſtant aluntúrque carnoſæ, ſuas habent radices tam multa quibus conflictamur incommoda, laténtque morborum & mortis germina, quæ & paria his ex quibus orta ſunt, faciunt, & citò cum corpore adoleſcunt. In illo viget repugnantia primordiorum, quæ vt viuendi cauſa ſunt, ita & vitæ mortis; nec minùs morborum elementa, quàm corporum; ac licèt in permiſtionem quodammodo paria venerint, breui tamen, impari prælio ſeſe vehementer exagitant; & dum in nos intus foriſque ſæuiunt; ſanitatem quam fecere ſubuertunt: adeo infida eſt ex contrariis origo. Eſt & à ſemine inſitus calor, qui eadem manu nos fouet ac conficit; & quia ſalutarem humorem ſuâ efficientiâ furtim, ſed auidiùs carpit, ipſum quoque ſe perimit; itaut qui author eſt vitæ, idem ſit & necis. Sanguis maternus, in quo & aliquod ſemper elementum regnat, dum corporis noſtri partes alit, eas quoque ſuis vitiis imbuit: & quamquam ea leuiùs quàm ſemen in corpus inferat, maternos tamen affectus ſæpius referimus quàm paternos: ferè enim parentum in natos abeunt cum ſemine mores & morbi, vix vllis deinceps machinis abigendi; & quæ conditio eſt ſeminis, non rarò plus reddit quàm acceperit. Hinc fatui fatuos generant, & qui vexantur arthritide, calculo, phthiſi, epilepſiâ, elephantiaſi, ſyphilide, liberos edunt adeo ſimilibus iniuriis obnoxios, vt priùs in ſui perniciem experiantur mala, quàm eorum poſſideant bona. Hæc ſunt Medicorum opprobria, hi affectus, in quos temporis non eſt præſcriptio. Ad eorum cenſum ne referas pueris & mulieribus familiares papulas, Hippocrati & Galeno indictas & incognitas, non ab vlla ſanguinis menſtrui portione, non à maligna aëris qualitate, nulloque cæli aut aëris vitio in humanam gentem ſæuiente vel propagato, ſed ab inſigni humorum putredine ortas, quæ licèt ſeſe tantùm prodant in cute, quam vel deſcribunt maculis, vel in puſtulas attollunt; nihilominus in alto malum eſt, & in viſceribus ſedet. Ab iis non ſunt immunes quibus è reſecto vmbilico copioſus ſanguis effluxit, ſed potiùs quibus primo vitæ biennio pulticulæ vſus ſubſtractus. Præcipua curationis ſpes poſita eſt in phlebotomia, quæ vel ineunte morbo, etiam in lactentibus, imò & in tenellula ætate, bimeſtribus, trimeſtribúſque, vel poſt eruptionem (quam ſi difficilis fuerit, apprime iuuabit egelidæ aquæ balneum) citò, tutò, & intrepidè adminiſtrata fert omne punctum. Fruſtra propinaueris lapidem bezoardicũ, tam ægris quàm artificis ſcandalum: fruſtra ſtillatitias illas aquas de vlmaria & carduo benedicto, de quibus quæ dicuntur, nugæ ſunt, verbáque inania; fruſtra decoctum lentium, vel hidrotica; fruſtra & famoſas illas confectiones de cocco baphico, & hyacintho, non tam ad valetudinem repertas, quàm excogitatas ad pompam (quaſi Medicina artium præſtantiſſima, alieno & fucato illo ſplendore indigeret) nullo nomine cardiacas, titulo quidem ſpecioſas, ſed effectu inanes, quæque ad morborum curationem non magis valent, quàm nænia præficæ ad excitandos mortuos. In hoc cenſu aurum repono, nulla alia qualitate cardiacum, quàm quod mentem exhilaret.

TOTVS HIC orbis valetudinarium eſt, ſed in quo πολλαὶ μορφαὶ [illegible]: quippe hominem tot vndique circumſtant morborum ideæ, vt ab illis vix momento ſit liber. Nonnulli certis ſæculis prodeunt, occidunt, vt Gemurſa; & patrum memoriâ, certis Europæ regionibus cum Ægypto commune malum, quod cùm olim in Reges incidiſſet, populis erat funebre, crudeli & inutili remedio, balneo ex humano ſanguine parato: nec verò vtilior [illegible], ſed nec hydrargyrus, fatuæ Chymiſtarum gentis Idolum vaniſſimum. Quidam infauſta peregrinatione huc illuc vagantur: ſic luem illam Hiſpanicam, horrendum ſcortatorum flagellum, Europæis aduexit India, Indis viciſſim variolas miſit Europa, altera alteri malas merces. Habet vnaquæque regio priuata commoda, ſed habet & priuatos morbos; ſic Hiſpaniam infeſtat ſtrama, ſic Poloniam plica. Tempeſtatum viciſſitudine morbos quos creant ſingulæ non tam deponimus, quàm mutamus. Hyems ſcelerato frigore necat, Ver morborum infinito numero. Æſtas immodica ſiccitate, vitæ principia depopulatur. Autumnus, Libitinæ quæſtus acerbæ, fructuum prouentu morbos creat atrociſſimos. Ipſi quoque humores quam debent fouere ſanitatem ſæpenumero labefactant. Ita ſanguinei deſipientiæ obnoxii. Pituitoſi aſino tardiores, & hyeme Gallica frigidiores, nihil aliud ſunt quàm [illegible]. Melancholici miſeri, cauſarii, pertinaces, omnia tuta timentes, atris tenebris, & carcere cæco concluſi, nigri humoris potenter dominantis [illegible], vulgo Medicorum crucem figentes. Soli bilioſi, ſi temperati corpore, mente valent, ingenioſi, fortes, optimi. Quid multa? etiam morbus eſt aliquis per ſapientiam mori: morbis enim quoque quaſdam leges Natura impoſuit. Vere vix incipit Quartana, quæ vbi eſt autumnalis, ferè annua eſt, aut lethalis. Peſtis, Mauritaniæ vaſtatrix, parcit Occidentali Æthiopiæ, licèt feruidiſſimæ; minimè ſenibus, vt ſomniauit Plinius: at vbi affligit, qualiacumque adfuerint ſymptomata, nunquam ante coctionem purgandam: Eam quicunque amuletorum vſu expugnare nituntur, aut occulta virtute agentibus, non tam veratro indigent, quàm vinculis Hippocratis. Quidam in ſeruitia ſæuiunt morbi, quidam & in proceres, vt mentagra olim nobilium pœna. Sed & qui ſeparantur ſexu, ſeparantur & morbis. Viri iſto ſciant quantum poſſit vnus Vterus, certè non experiuntur. Hæmorrhois viris interdum purgatio, interdum vt & mulieribus morbus eſt. His aliàs pepercit Arthritis, nunc familiaris, non mutatâ naturâ, ſed vitâ, ſcilicet beneficium ſexus ſui vitiis perdiderunt; & quia feminam exuêre, damnatæ ſunt morbis virilibus. Ex morbis quoque aliqui totius ſunt corporis, vt febres, ferè à bile omnes, quarum aliæ quino & ſeptено circuitu repetunt, aliæ quotannis natali die. Aliqui ſingularum ſunt partium, quæ & communibus tentantur morbis, vt omni intemperiei & tumorum genere, inflammatione, abſceſſu, vulneribus (quorum medelam nihil promouet vnguentum hopliatricum: nec militaris ille puluis ſympathicus) & ſeorſim quoque propriis exercentur affectibus. Inter Capitis vitia ſunt cephalæa, phrenitis, melancholia, vertigo, lethargus, typhomania, fatuitas, epilepſia, paralyſis, apoplexia, cui præſenti remedio eſt iugularium ſectio, non tabacocapnia, non excitata febris, non vinum ex ſtibio verè ſtygium & tartareum venenum, inhumanum & lethale Paracelſi & Agyrtarum inuentum, cuius maleficio non tam ſordes eluuntur, quàm venæ aperiuntur & viſcera diſcerpuntur. Ita quæ in eo ſedem habet facultas animalis non tot ſe prodit functionibus quot patet iniuriis. Multis modis ſed maximè imperitis illudit Incubus, quem inepti nonnulli in ſpectra, nocturnos lemures, lamias, & ſagarum ludibria ſtolidè reiiciunt. Oculus, pars tantula, tot ſuſtinet morbos, vt nedum conſtet de numero. Naſum obſidet putre vlcus Ozæna dictum, quo qui laborant, ipſi tum ſibi graueolent putiduli, cum vicinis tetri ſpiritus contagione moleſti ſunt. In illis putis acredo tenella oſſa arrodit atque exedit inſigni deformitate, exeſámque palatum ſæpe perforat. Eiuſmodi vlcus ferè carcinodes eſt, aut venereum, aut ſtrumoſum, aut elephanticum: vtvt ſit, miſeri homuli medicinâ indigent, ſed violentâ, ferro & flammâ. Plura dicam: animum ipſum ex Naſi purulentia infici volunt Phyſiognomones, vnde illis eſt axioma; Corruptum Naſum ſequitur corruptio morum, quod eſt probabile: ex iſto enim Naſonum genere, qui rancidulo ore loquuntur, hoc eſt [illegible], vulgò nebulones ſunt, ridiculi, effrænes, nefarii, ardeliones, vafri, doloſi, obſcæni, turbulenti, mendaces, maligni, inuidi, quadruplatores, flagitioſi, infames, contumelioſi, facinoroſi, nulla virtute redempti, à vitiis ægri ſoláque libidine fortes, induſtriâ ficti, & à Naturâ facti ad fraudem & calumniam. E tot affectibus qui Thoracis ambitu continentur, caue ab hæmoptyſi & inflammatione pulmonis; nec minùs lethales ſunt hydrops thoracicus (quem pulmonei pedes demonſtrant, quémque hydragogũ vſu tollere qui nititur, tortorem agit non Medicum) angina vera, pleuroperipneumonia, empyema, niſi ſtatim fiat ſectio: crudum tuberculum, naturâ ſuâ immedicabile, cuius index eſt pulſus intermittens & inæqualis in omni genere inæqualitatis; Cordis palmos, à grumo ſanguinis, vt & phthiſis, & vomicæ putres, ab his enim ſubitæ mortes atque inteſtata ſenectus. Cor quibus lienoſum eſt, ſalit, ſæpe & momento interimit. Reuera Ventriculus plurimis vegetur ſymptomatis, nec ferè multò paucioribus morbis: at quæ illi paſſim tribuitur Imbecillitas, nudum & inane nomen eſt, cuius curationem fruſtra per adſtringentia moliuntur Empirici, diuinæ artis quam profitentur ignari. Iecur viſcus eſt fœcundum humoribus, magis verò morbis: ab hoc ferè equuleo magis formidandus crudelis Rheumatiſmus, qui ſudorificis exacerbatur. Quæ ſit vis Lienis, quot morborum ſit author, diſce ex hypochondriacis, & inſanis. Vterum diuinam luxuriantis Naturæ fauiſſam penè infiniti malè habent affectus, in quibus familiam ducunt atque ſupereminent, inflammatio, cancer, [illegible], abortus, vlcus, [illegible]; quódque omnem propè fidem ſuperat, ſtrangulatus, adeo terrificus, vt eo correptæ, dyſpnœâ præfocante, faucium intumeſcentiâ, & membrorum concuſſione, à malè morato Vtero, ſtultis & credulis temerè iudicantibus falsò putentur [illegible]. Pudendarum partium magis pudendos morbos, pudor hîc non ſinit adſcribere; vel ipſa Vrethra, ſi faſcini, ſanè non eſt morborum expers: adſtites glandulæ gonorrhœam fundunt virulentam, vbi tetri virus afflatu inflammantur; vt ea de cauſa huic etiam inueteratæ pulchrè medeatur venæ ſectio è brachio, quæ luem veneream nunquam excitauit, quidquid garriant imperiti Medicelli. Per Naturam homo homini Lupus, vt per Medicinam homo homini Deus: etiam homini multa à ſeipſo mala; ſed & multa ab alienis animalibus intus foriſque graſſantibus; quoſdam enecat nepa, alios rabies, quæ vt in cane & lupo, quidni & ſponte excitari poſſit in homine? & verò etiam aliqua ſinu ſuo fouet in perniciem: quippe naſcuntur in venis dracunculi, ferè vbiuis vermes, qui & eminguntur & emunguntur. Ipſi pediculi Regibus, Philoſophis & Tyrannis vitam ademere; alias ſerpentes, qui interdum magnâ copiâ erumpunt è corpore. Scire vis an aliqui quoque ſint ætatum morbi? totam vitam tracta.

PVNCTVM eſt quod viuimus, vel puncto minùs, & tamen Natura in tam anguſto plures poſuit gradus. Vix concepti & inchoati hominis ſigna ſunt mille matris tædia (tam magno empta breuis voluptas) pica, incubus, ſpaſmus, & putæ mulieres id faciliùs ſentiant quàm impuræ. O friuolam hominis originem! ſæpe Vterus ei pro tumulo eſt, & plerumque vel abortus cauſa fit odor à lucernarum extinctu; his principiis naſcuntur Heroës. Eſt & vbi velut ante miſerias miſer, in vtero eiulantis vocem emittit. In partu quid non metuendum ab imperita obſtetrice? & à partu, quid non ab aliena nutrice? quanquam nec tutum puerperæ lac, à quo fiunt coloſtrati infantes, quemadmodum à bilioſæ nutricis lacte calculus. Vt hoc maternorum viſcerum latens onus ſpiritum ducat, penè mater expirat. Pudet referre quàm immeritò natalium nobilitate glorientur homines; fœdum, ſed tamen verum, nonnunquam ipſe Vterus prurit ac ebullit vermibus, vt cum iis ceu cum gemellis, eadem ſint Tyrannis ortûs incunabula. Natus homo, Solſtitialis velut herba ſolet, aut oſtenditur ſimúlque rapitur, aut primum vitæ tempus dat lacrymis tam iuſtè cadentibus, vt hoc ipſum flere naſcentis ſit: ſtrictos ſubinde gladios experitur: imò nec ſine his in vitam aſſeritur: mox quæ ne feras quidem inter nos genitas, illum excipiunt vincula, quem aliquando non capient regna. Vide an in ætate noſtra quod optimum primum eſt? fari, veſci, ingredi neſcit animal cæteris imperaturum, & hanc vitæ partem quadrupedi ſimilem facit. Neque interim tam teneris membris parcunt morbi, ſed puſionem vel adhuc à matre rubentem adoriuntur. Palpitans vertex achoribus, hydrocephalo & ſiriaſi premitur, aures humiditate diffluunt, quarum vicinas glandulas prauâ [illegible] opprimunt parotides, vera meráque [illegible], vix vnquam bonis ægrorum rebus apparentes, niſi geminæ fuerint, vt Dioſcuri ſolent, proſperi curſus nauigaturis prænuncii. Nondum firmum cibis os aphthis ſcatet, pulmo quintana tuſſi, ferina & contumaci, à ſero maligno & [illegible], è venis exudante; Ventriculus vomitu rumpitur, aluum vexant tormina, Vmbilicum inflammatio, mentem vigiliæ & pauores. Dentientem torquent conuulſiones, gingiuarum pruritus, febres, & diarrhœæ. Natu majori inflammantur tonſillæ, luxantur vertebræ, generantur in inteſtinis lumbrici, amaris ſeminibus, acidis, oleaginoſis, aut Mercuriali aqua necandi, ſolis verò purgantibus ex aluo deturbandi; in Veſica calculus, nullo [illegible] frangendus; aſthmata neque emeticorum, neque diureticorum vſu curabilia: ſtrumæ, quæ ſi vlceratæ fuerint, malignæ, contagioſæ & immedicabiles habendæ, niſi vis major & Metaphyſica, nempe Chriſtianiſſimi Regis ſalutares manus interuenerint: toto corpore ſcabies & furunculi, ad quorum medelam vnica [illegible] & [illegible]. Pueritia adeo morborum ferax eſt, vt nullus opere ad eam reuerti. An etiam quia tunc deſideratur ſapientia? quæ nunquam præcox vel ſi barbam anteeat. Per hanc hæmorrhagiæ & febres diuturnæ affligunt, & qui morbi ea ætate non ſoluuntur, & inueteraſcere ſolent, & obfirmari: nec attinet quod tum maximè ſequax corpus luculentum capiat incrementum: poſſe creſcere, nónne imperfectæ rei ſignum eſt?

QVÆ SEQVITVR ætas licèt temperatiſſima ſit, ac iam pueritiæ vitia deſpumarit, peſſimos tamen affectus inuehit, cuiuſmodi ſunt morbus major, nonnunquam à flatu, tabes, cruentæ ſputiones. Cùm in viros euaſere, pulmo infeſtatur peripneumoniâ, thorax pleuritide, deterioris in ſiniſtro latere ominis, aluus dyſenteriâ, & diarrhœâ: cruciant demum cauſus & cholera, cùm ſub pectore maſcula bilis intumuit, quam vix extinxerit vena cicutæ; quorum ſoli atque legitimi vindices ſunt venæ ſectio & frigidæ potus. An prodeſt illa virium firmitas? tardam dicta, ſub quanam cute lateat beatum ingenium; nam & animi vigor cum corporis viribus minuitur, & nimio robore membrorum hebeſcit, quaſi ſupra mortalem ſit felicitatem, eundem & valentiſſimum eſſe & ſapientiſſimum. Inclinante ætate bilis atræ ſit prouentus; vnde Quartana iuuenibus tormentum, ſenibus mors, eóque citiùs ſi continua fuerit, malum contumax & ferè pluſquam corporeum, cuius curationem fruſtra ſuſcipias pauore, maleficio, vomitu, imò nec purgantium vſu, niſi præſente [illegible]: ob id quoque ſanguis, qui aliàs ſpumanti ore euomebatur, per anum fluit, idque maximè [illegible]. Interea obrepit non intellecta ſenectus; mala merx, mala ætas, & adhuc iuuentutem cogitantibus ſupra caput eſt: nihil habet quod ſperet, quem illa ducit ad mortem, huic vni intercedi non poteſt. Cùm vniuerſo pondere incubuit, nullo genere homines atrociùs moriuntur, ſed nec diutius: inde eſt quod nec viuere nec mori volunt: vitæ illos odium tenet, timor mortis, qui quoties mentem percutit, palpitantibus præcordiis viuitur, maximè ſi climactericus annus, ſapienti nequicquam formidabilis. Quanta ſenem circumueniunt incommoda! tunc enim floret amygdalus, impinguatur locuſta, diſſipatur capparis; mors illi eſt requies, viuere pœna grauis. Siccum & vacuum cerebro caput, ſubiectas partes humoribus obruit, tentatur & vertigine, quæ vt præit apoplexiâ, ita hæc ſi ſoluatur, ferè in paralyſim deſinit. En ſenibus vitæ portio quanta manet! hebeſcunt ſenſus, cum voce trementia labra, in facie pallor, madidique infantia naſi; ſi libros repetit, duplex ſe littera findit, eripitur ſine nocte dies, niſi ſuccurrant oculi vitrei; præmoriuntur odoratus, auditus, inceſſus, exangui & funereo Euclioni dentes ſuis excuſſi alueolis balbutiem pariunt. Thoracem quatit praua tuſſis, vt & Suſpirium, non minùs æquè quàm Philoſophia, meditatio mortis nuncupandum: renes & eorum ductus carnifex calculus, veſicam dyſuria (quæ ſi contumax fuerit, ſola ſectione ad perinæum curabilis) artus [illegible], articulos lapidoſa chiragra, nodoſa podagra; imò interdum aſſiduo ægrorum cruciatu, [illegible]. Si ſanguis copioſus Cor obruat, ſic Syncope cardiaca veterum, à qua ſubitò ſuffocatur animal, eodem modo quo Apoplectici: iſtam nulla valet Medicina repellere peſtem, nequidem ipſæ artes Dardaniæ: imò nec ipſa Salus ſi cupiat: Etiam gelidus ſanguis cutem vrit pruritu, & maligna impetigine: totum denique corpus non antè torqueri deſinit, quàm dolore ſenſum doloris auferit. Hæ ſunt primitiæ mortis, ſic illis defluit ætas, queis pœna eſt totum quod viuunt. Accedit omni membrorum damno major dementia: nam ſenibus exprobratur infantia, quaſi pars ſumma vitæ, vitæ ipſius fæx ſit: pauci quippe ſunt qui cùm ſentiant ætatis iniuriam in corpore, non ſentiant in animo, vixque tum mentis oculus acutè cernit, cùm corporeus defloreſcit: at certè multis iners vita ſine vſu jacet ſui: itaut ſibi ſint odio, cæteris graues, túmque nihil optabilius, quàm quæ eſt in propinquo Mors, optimum Naturæ inuentum, vnica tot ærumnarum clauſula, & vltima vitæ linea. Ita naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Ergo totus Homo eſt à Natura morbus.

Proponebat Lutetiæ PAVLVS COVRTOIS, Meldenſis. A. R. S. H. M. DC. XIII

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Robertus Debonnaire.
M. Martinus Akakia, Prof. Reg.
M. Durandus Franciſcus Yon.
M. Leo le Tourneurs.
M. Nicolaus Cappon
M. Nicolaus Richard.
M. Hermannus de Launay.
M. Philippus Harduinus de S. Iacques.
M. Helias Beda.